Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1899
Quelle:
Copyright:

lar. Continet vero I. *Themata dominicalia super dietam salutis*, id est, Excerpta in usum homileticum e Libello ita inscripto, qui etiam *fol.* 11. continuo sequitur, et incipit: *Hec est uia, ambulate in ea nec ad dextram nec ad sinistram. Ys. XXX. Magnam misericordiam facit qui erranti viam ostendit maxime de nocte et in terra hostium tempore guerrarum* &c. *Dieta* barbare iter est, quod uno *die* confici potest, hinc vel hodie Anglicum *Journey* et Gallicum *Journée;* X. vero *Dietas* mysticas Libellus noster emetitur, cui hanc hederam sub finem Librarius adpendit: *Explicit tractatus iste nobilissimus qui propter sui bonitatem intitulatus est dieta salutis. quia per ipsum itur ad regnum celorum.* Addere poterat autorem *Bonaventuram*, inter cujus opuscula prostat edit. *Lugd.* 1668. T. VI. p. 272. f.

II. *fol.* 83. *Incipit flosculus beate uirginis.* Inscribitur: *Reuerendo domino ac patri Monachus inutilis cuius personam et uocabulum nouit ipse Studioli sui primitiuos fructus.* Nihil, quo autorem detegas, in hoc Praeloquio, cujus initium: *Primitias ingenioli mei pater et domine beneplacitas nobis faciat karitas benigna* &c. Libellus in Rubricas distributus B. *Mariam* ut *Hortum conclusum*, et *Fontem signatum* ἀλληγορικως adumbrat.

DCCXCV.

R. 2174 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 221. 8. per duas columnas minutius, sed nitide exaratus, rubricis distinctus, et quondam *Domus sancte Trinitatis prope Brunnam Carthus. Ord. Sermonarium* est nullo ordine dispositum, de Tempore, de Sanctis et moralis argumenti. Sermonis I. initium est: *Anima nostra &c. Laqueus &c. Sciendum quod dominus nobis multa gaudia uite in patria dare disponit, sed demones sic nos odiunt quod libenter uelint in perpetuum amplius torqueri ut cum ipsis torqueamur.* &c. Texitur quidem ad Codicis calcem miniatus Indiculus, qui tamen ad nullas paginas remittit.

II. *fol.* 178. sequitur Tractatus *de VII. speciebus timoris*, cujus Praefatio incipit: *Quoniam exempla plus mouent quam verba* &c. et qua de Exemplorum usu in sacris Dictionibus agitur citato *beato Dominico* et *Magistro Jacobo de uitreio* al. *Vitriaco.* De hoc Noster: *suis sermonibus adeo totam franciam commouit, quod non existat memoria aliquem ante uel post sic mouisse.* De *timore Inferni* pluribus Capitibus disseritur. Alia de hoc Tractatu inter *Cod. Asceticos* retuli.

III. *fol.* 205. *Incipit Timdalus yberniensis militis.* Et quidem a Praefatione *Marci* interpretis ad *G. Abbatissam.* Egi de hac Visione *Vol.* I. P. 2. *col.* 1258. et 2261.

DCCXCVI.

Codex chartaceus lat. Sec. U. 204 XV. Folior. 365. 4. currente calamo